



DISSEMINATIONEM IN AVGVSTINAE JVRIS

DE

1730, 32

50

33

AMPVTANDIS PROCESSVVM

AMBAGIBVS,
IN FORO PRÆSERTIM
SAXONICO DVCALI,
AD SERENISS. PRINCIPIS BENEPLACITVM
ET SVBDITORVM SOLATIVM,

VOLEBAT,
JVSSV ATQVE AVTORITATE,
CELEBERR. IN INCLYTIA ERFORDensi ACADEMIA
JCTORVM ORDINIS,

S V B P RÆSIDIO

DN. ERNESTI TENZELII, JCtI,

EMINENTISS. AC SERENISS. PRINCIP. ELECT. MOGVNT. CONSIL. REGIMINIS,
JVDICII PROVINC. AC FACVLT. JVRID. ASSESS., EJVSDEMQUE H. T. DECANI,

NEC NON CIVITATIS CONSVLIS PRIMARII,

AVUNCULI AC PROMOTORIS SVI, EA QVA PAR EST,
PIETATE ÆVUM COLENDI,

AD

DOCTORALEM GRADVM,

CVM NOBILIBVS IMMUNITATIPVS ATQVE INSIGNIBVS
IN UTROQUE JVRE ACQVIRENDIS,

PLACIDÆ ERVDITORVM CENSVRE,
IN THEMIDOS SACRARIO, HORIS CONSVETIS
EXHIBERE

FRIDERICVS WILHELMVS KÜNHOLDVS,

Gotha-Thuringus,

ADVOCATVS REGIMINIS FRIEDENSTEINENSIS.

DIE V. AVGVSTI ANNIM DCC XXX.

ERFORDIÆ, Literis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

1730, 32, 33
Dr. Dr. von Bülow

SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,
DOMINO
FRIDERICO,
DVCI SAXONIÆ,
JVLIÆ, CLIVIÆ, MONTIVM, AN-
GRIÆ ET WESTPHALIÆ, LANDGRAVIO
THVRINGIÆ, MARGGRAVIO MISNIÆ, CO-
MITI PRINCIPALI DIGNITATE HENNEBERGI-
CO, COMITI DE MARCA ET RAVENSBERG,
DYNASTÆ IN RAVENSTEIN ET TONNA,
&c. &c.

PRINCIPI AC DOMINO
SVO CLEMENTISSIMO,

NEC NON

SERENISSIMO FILIO,
PRINCIPI EJVS HEREDITARIO
DOMINO
FRIDERICO,
DVCI SAXONIÆ,

JVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM, AN-
GRIÆ ET WESTPHALIAE, LANDGRAVIO
THVRINGIAE, MARGGRAVIO MISNIÆ, CO-
MITI PRINCIPALI DIGNITATE HENNEBERGI-
CO, COMITI DE MARCA ET RAVENSBERG,
DYNASTÆ IN RAVENSTEIN ET TONNA,

&c. &c.

PRINCIPES AC DOMINI SAVIS

MVACVN

FRIEDERICAS WILHELMAS KINHOLDIAS

Kinholdei Litteratione luteo ducatu ap-

legata in uniuersitate devozione offerte



CÆTERIS SERENISSIMIS PRINCIPIBVS
FILIIS,

DOMINIS,

WILHELMO,
JOHANNI AVGUSTO,
CHRISTIANO WILHELMO,
LVDOVICO ERNESTO,
MAVRITIO,

ET

JOHANNI ADOLPHO,
DVCIBVS SAXONIÆ,

JVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM, ANGRIÆ ET
WESTPHALIAE, LANDGRAVIIS THVRINGIAE, MARGGRA-
VIIS MISNIÆ, COMITIBVS PRINCIPALI DIGNITATE
HENNEBERGICIS, COMITIBVS DE MARCA ET RAVENS-
BERG, DYNASTIS IN RAVENSTEIN ET TONNA,

&c. &c.

PRINCIPIBVS AC DOMINIS SVIS
INDVLGENTISSLIMIS,

Hancce Dissertationem Inauguralem sub-
iectissima animi devotione offert

FRIDERICVS WILHELMVS KÜNHOLDVS.



J. N. D. N. J. C.

§. I.



Uemadimodum boni pastoris est, & nemo inter hocce genus hominum dives nuncupatur, nisi qui gregibus maximis optimisque, nec non paucis frequentioribus abundat. Parli modo, Venatores, numerosa lustra ferarum querunt, nec canibus, aut aliis modis, ea turbare permitunt, immo sile ceterisque illecebribus, multitudinem earum, ex alienis, ad nemora sua allere conantur; Ita bono principi, absque dubio cordi erit, inventire modum, quo numerum subditorum tam augere, quam opulentia & vita quieta ipsos dotare, hacque ratione, etiam ditissimos peregrinos, cum ipsorum familiis inescare possit.

§. II.

Quoniam autem in Juventute omnibus bonarum artium generibus instruenda, adultis, optimis & econcimis regulis, in primis ratione agricultura, atque rei pecuaria & opificiu, ac commerciorum cautelis, quæ omnia, vulgo Landes-Oeconomia nomine vocantur imbuendis, pace tranquille conservanda, nec non justitia recte administranda, ac Processuum vexis e Republica exterminandis, rotunda

ferme ratio felicitatis, tam ex parte Principis, quam subditorum consistit, instituimus, de posteriori genere felicitatis, hic paucis differere.

§. III.

Ac cum expertum habeamus in Praxi, Processuum longinquitatem & perversam protractionem, multos dientes ac opulentos subditos, ad summam egestatem detrufisse, immo totas regiones pene evertisse, ita, ut in casu summa necessitatis, nec Principi prodesse, nec sibi consulere potuerint, propterea ad artes perversas & fraudes, se convertere necesse habuerint, ad quæ præcidenda, rum Serenissimus Princeps ac Dominus, Dominus ERNESTVS, Dux Saxonia &c. &c. pia memorie in Ordinatione Processuali Gothana, nec non Serenissimus ac Clementissimus noster Princeps ac Dominus, Dominus FRIEDE-RICVS, Dux Saxonia &c. &c. in plurimis novioribus additamentis, antedictæ Ordinationi Processuali Gothana factis, ac Ordinatione Advocatorum novissime publicata, operam plurimam impenderint; quod exemplum procul dubio sequuti multi alii, etiam novissime illustris Dominus MICHAEL HEINRICH GRIEBNER, affinis meus summe devenerandus &c. &c. in Dissertatione epistolica de liuum ambagibus recidendis, ideo hanc materiam admodum utilem hic tractare, ac nostras super Processu præsertim Saxonico Ducali, missis reliquis, proponere meditationes, jamjam instituimus.

§. IV.

Originem suam traxit Judicium ac Processus testante CHILIANO KÖNIG Proc. c. 1. §. 1. usque 9. ex jure Divino & humano.

§. V.

Ut autem ordine rem aggrediamur, notandum, quod equidem non levis Doctorum discrepantia, in eruenda Processus Definitio sit, vid. CARPZ. Proc. Rubr. ad Tit. 1. A. 1., sed nobis placet hæc definitio, quod sit propri-

mo.

modus ac forma, in judicio tractandi, disceptandi & dijudicandi, jure praefinita. vid. CARPZ. l. citat.

§. VI.

Et quoniam Judicium, est vulgariter locus, ubi Processus tractandi, de iis disceptandi, & illi dijudicandi, deinde etiam proprie, pro Processu ipso, apud Practicos occurrat; Ante omnia, Processum seu Judicium, distinguimus Authore CARPZ. citat. loc. 1) in Ordinarium & Extraordinarium sive Summarium, 2) Seculare & Ecclesiasticum, 3) Ordinarium & Executivum, 4) Criminale Ordinarium & Inquisitorium, 5) Petitorium & Possessorium, (cui posteriori quoque addimus, Ordinarium, Summarium, vel Sommariissimum propriis dictum & Inhibitum) 6) Regulare & Irregulare.

§. VII.

Processus ordinarius, est test. CARPZ. cit. loc. in quo causa, juxta legitimū & usitatum procedendi ordinem atque modum ventilatur. Extraordinarius vero, quo de simplici & plano proceditur, observatis nihilominus substantialibus Processus, jure naturali introductis.

§. VIII.

Legitimus ac usitatus Procedendi Ordo atque modus, in Processu Ordinario, est Libellus, Citatio, continens Terminum Saxonum, h. e. spatiū sex septiminarum & trium dierum, Tentatio concordia, litis Contestatio, Exceptiones tam Dilatoria, quam peremptorice, Conclusio, Sententia interlocutoria, receptio Probationum & Reprobationum, Positiones Disputatoria, cum Scriptis ut dicuntur Impugnationis & Salvationis, Conclusio, Sententia definitiva, Leuteratio, Apellatio, & alia juris positivi solennitates & fatalia.

§. IX.

Hic ordo etiam in Processu Summario requiritur, sed posita hac Differentia ac Restrictione ut tempus Citations, cum aliis solennitatibus, fatalibus ac protelationibus rescindatur.

§. X.

Quo igitur nostram abbreviandi Processus rationem
rite exponamus, dicimus, quod principi, cui salus ac opu-
lentia subditorum cordi est, maximopere utile videatur ha-
bere INSPECTOREM JVSTITIE, qui ante omnia
Vir bonus, eruditus, apicum Juris optimognarus, Studio
Oeconomico ac Mathematum deditus, immo peritisissi-
mus esse debet, munere Consiliarii Principis præterea ful-
gens, ac decente Salario adjutus, cui præter juramentum
ordinarium Consiliarii, etiam in salutem subditorum, &
quod nec Judices, nec Advocatos, aut partes ipsas respi-
cere, nec dona, sub quocunque prætextu, recipere velit,
jurare necesse sit. Præterea vero ad Exemplum Inspe-
ctoris Ecclesiastici, omnia Judicia, in diebus Judicialibus,
Germ auf Amts- und Gerichts-Tagein, vel extra illos, ex im-
proviso visiter, lites ibi pendentes revideat. Terminos, &
quid in eis agatur præsens inspiciat, Registranda ac Ca-
lendaria Judicialia cum rationibus de multis aliisque ad
Fiscum Salariorum tam Judicis quam Advocatorum per-
tinentibus, deliberato Consilio percurrat, pecuniam, ut
certo constet, an Judex summam inrationibus descriptam
paratam habeat, numeret, si quæ in venitur harum pecu-
niarum subductio, aut versio in proprium Commodum,
aut alia quævis relevans causa, id statim suspensione Ju-
dicis, alteriusque Vicarii substitutione in illius locum coer-
ceat, subditos, si quid gravaminis contra Judices, eorum
Secretarios, aut Advocatos movere velint, audiat, omnia
breviter remedenda, sua authoritate statim componat, quæ
ex templo fieri non possunt, proxime fieri jubeat, omnia
Tabula annotet, & proxima visitatione, si iussa expedita
non sunt, multa certa imposita coerceat, aut tandem
proterve reluctantibus, ipsi Principi denunciet, ad
quem immediate relationes suas preferendi, licentia sit,
ceteroquin, cum Regimine, vel aliis, ad hæc negotia de-
putatis Consiliariis, de Remediis contra navos in ferio-
rum

rum Judicium salutariter inveniendis, communicato Cou-
silio rationes inveniat.

§. XI.

Possit etiam huic *Inspectori Justitie*, qui nemo alias,
ut ante memoratum, quam exercitatus Practicus Juris,
Oeconomia ac Matheſeos, ob rationes prægnantes alias,
esse debet, & quoniam plerique Procesſus, de quaſtio-
nibus Oeconomicis ac Mathematicis, inter Rusticos
præſertim, agitantur, committi visitatio ſubitanea & im-
provifa, atque Inspectio Rationum Steurarum, ceterorum-
que Redituum, tam apud Praefectos, quam Scribas, & alias
quascunque personas, quibus rationes commissa ſunt, ut
in Residua eorum accurate inquirat, pecunias, quas in Fisco
habere, per Rationes oportet, numeret, & ſi argento,
quod paratum habere in Rationibus affirmarunt, apud eos,
vel in Residuis illorum, ut ſapius evenire ſolet, denomi-
natos debitores, non omnes, ſed multos jam apochis à Ra-
tionario prædictis inveniat, aut alii doli vel pericula depre-
hendantur, ea ſua autoritate primò, ac ad summum ſuſpen-
ſione ab officio, alio in locum ſuſpensi interim substituto,
deinde vero, nullo prorsus Remedio invento, per Denun-
ciationem Principi ipsi factam, & inde iuſtam Remortionem
ab officio, immo pœnam corporis afflītiām, vulneratę
cauſa auxilium ferat. Unde facile eveniet, ut tales impo-
ſturae in Rationibus, qua mula milia florenorum, ad Prin-
cipis & subditorum irreparabile damnum ſape excēdunt,
uno iſtu evitentur, fraudesque statim ab initio extinctae,
non in tantas ſummas, ut exempla præterita funefio even-
tu docuerunt, excurrere poſſint.

§. XII.

Nec non huic *Justitie Inspector*, bono ut ſupra me-
moratum Oeconoſo, cum omnes Praefecturas ſapienti vi-
ſitare ipſi neceſſe ſit, demandari poterit in ſpecie bono-
rum Cameralium visitatio, eorumque melioratio, ad Ex-
emplum Parentis mei jampridem beate defuncti, qui pra-
ter officium Consiliarii Regiminis & Camerae Friedenſtei-

B

nen-

nensis, etiam supremam Praefecturam, primo in Valle Sancti GEORGII, dein Gothæ administravit, & bona Camera Serenissimi nostri Principis ac Domini, Domini FRIDERICI, Ducis Sax. Jul. Clivia, Montium &c. &c. quem Deus longa vita & prosperitate perpetua, cum omni Ejus Ducali Familia beare velit, ad pretium multorum milium florenorum auxit, id quod Rationes ejus privatæ nobis relicta, ac plurimi adhuc vivi testes indicant, præsttim vero ex hac ratione, qnoniam hisce temporibus Oeconomia studium pene ad exitium vergere ac Interesse Principis & subditorum, in hoc potissimum punto Oeconomia, propter imperitiam, desidiam & delitias hominum, maximum derrimentum pati, ante oculos sit.

§. XIII.

Dispositio de omnibus his rebus, absque tamen impedimento uniuscujusque generis officiorum, ad istum vi-
rum pertinere ita debet, ut re cum Principe immediate,
deinde cum Camera Ejus, aut alio Collegio hisce expe-
diendis ordinato, matura deliberatione præcedente, qua
conclusa sunt in effectum deducat.

§. XIV.

Salarium, ad huncce *Inspectorem Justitiae* alendum,
ex bonorum Cameralium meliorationibus, quas largissi-
me sufficere puto, solvendum, illique tam abunde tribuen-
dum, ut dona omnia respuere possit; imo impensa itine-
rum, ei particulariter von denen Pflegen solvenda, nec ullæ
Sportula, aut Accidentia, prout vocantur, concedenda,
imo, si infidus Principi ac Subditis inveniatur, causa per
extraneos Commissarios cognita, poena suspensionis, Re-
legationis, ac denique pro Delicti magnitudine, poena cor-
poris afflictiva, vel ultimo mortis suppicio, tale delictum
vindicetur, sanctione pragmatica de his omnibus, a Prin-
cipe lata, & Actis desuper ad exteram Facultatem Juridi-
cam transmissis.

§. XV.

Nemo Extraneus amplius ad Praefecturas, administra-
tio-

tionem Justitiae, Rationum, atque Oeconomiae Principis, munus Advocatorum &c. &c. in inferioribus Judiciis admittendus, sed solum subditi aut eorum liberi, capaces inventi, præstata decenti cautione per immobilia, quoniam dolenda docuit experientia, extraneos, corrasas pecunias extra Territorium, in alios, quam Principis subditorum, cui servient, usus convertere, atque alienarum familiarum commoda curare, in quorum promotione ad Provincias Inspector hic primam causam cognitionem habere, nec absque ejus consilio, tentatis prius personis, an provinciaz illis committenda cum laude præfesse possint, admittantur, munerasbusque præficiantur, cum ille nil per dona facere, sed salutem Principis ac subditorum curare debeat, notaque illi potissimum sit, omnium subditorum conditio, simul atque jactura honoris & vitæ cordi.

§. XVI.

Sed ut ad Processum ejusque abbreviationem redeamus, præcipue omnes Processus absolute summarie tractandi, Judiciumque inferiorum atque Advocatorum quorundam technaz, quibus dicitas suas, more certe minus laudabili augere conantur, penitus eliminandæ, ex quo eveniet, ut longinquæ fatalia & circumductiones, quæ Processum premunt, vel statim mole sua ruant.

§. XVII.

Ad hunc scopum etiam pertinet (a) reductio ac restrictio regulæ Juris vulgata, quod etiam causa faru judicem in judicando a dolo excusat, cum is, qui tale munus in se suscipere conatur, tanta experientia, eruditione atque diligentia prædictus esse debeat, ut culpam levissimam præstare, ideoque nec per imperitiam, nec per desidiam aut negligentiam peccare possit, aut si tale quid acciderit, aque ac si per malitiam, deliquerit, puniatur. (b) Decisio Principis ac Legislatoris certa & indubitata, in dissensibus Doctorum memorabilibus, quorum satis magna copia indecisa adeat, atque in dijudicando jus dubium reddit, quod pari passu (c) quoad Jus Canonicum, in Terris

nostris Saxonis Ducibus ad effectum deduci, in separatum Codicem redigi, atque in Academiis sic doceri posset, ut inutilibus penitus sublati & protractionibus processum, imo cautelis ac technis lites protelandi, quæ præsertim ex Libr. 2. *Decretalium* descendunt amputatis, utilia tantum retinerentur, hac tamen cautela exhibita, ut studiosæ Juventuti, Jura Pontificia, in Ducatis Saxonis abroganda, nihilominus hunc in finem exponantur, ut etiam in regionibus, ubi tale jus, vel in totum, vel majori ex parte adhuc vigeret, clientes suos Consilio atque opera javare possint.

§. XVIII.

Dissentio igitur a beato Luthero, ratione Juris Canonicæ apud nostrates penitus abrogandi, quod per combustionem hujus Codicis, anno Christi 1520. ab ipso tentatum, & tota Historia hujus facti mirabilis *Part. I. Jenens. edit. anno 1566. fol. 316. & seqq.* invenitur.

§. XIX.

Tempus certum ac breve satis ponendum, quo, post Libellum oblatum & emissam Citationem, 1) Termenus præfigatur, 2) post tentationem Concordia cum severitate, positiones finienda, 3) lis contestari debeat, 4) Receptio Probationum & Reprobationum cum scriptis ut dicuntur Salvationis & Impugnationis fiat; 5) Conclusio causæ cum sententia adesse debeat, 6) intra quod Leuterratio ex gravaminibus justis, cum Remedio Appellationis per modum supplicia, Restitutionis in integrum, Querelæ nulliratis &c. Appellatione solenni, cum petitione Apostolorum, (quæ etiam in Summario a Sententia Judicium inferiorum non invenit locum) penitus exclusa, finiri debeat.

§. XX.

Necesse est ante omnia, numerum tam Judicium superfluorum, eorumque Assessorum, Secretariorum, Actuariorum, & id genus aliorum, nec non Advocatorum diminuere, minime autem, tam bonos Viros, cum ipsorum fa-

familiis, quo fame pereant, dimittere, sed illis successiones in aliis officiis Rationum, Cameræ, Senatus, Civitatum, Rei militaris, & sic porro, assignare.

§. XXI.

Cum autem per Processuum ambages rescissas, tam Judicis, quam Advocatorum salario admodum minuantur, illis salario largiora, ut inde cum familiis apte vivere possint constituenda, omnibus Sportulis penitus abrogatis.

§. XXII.

Sed quæret forte quis, unde Principi sufficient redditus ad hæc salario? Respondeo, collectas particulares ad hæc salario Subditis imponendas, cum facillimo negocio Princeps notitiam acquirere possit, quotannis subditos, maiore summa pecunia, per Judices & Advocatos emungi, quam dimidia pars & amplius Collectarum, Germ. Landes-Steuren, attingere posset, sive quod absque ulla contradictione innocentissimus modus videtur, imo ante hac in Gallia, sub CAROLO IX. usitatisimum Medium, Tributum nempe *Judiciale*, Germ. Gerichts-Zoll, introducendum, quod in eo consistit, ut ambo litigantes, amicabili compositione repudiata, ante admissionem ad Processum, certam pecuniam Judicii solvere cogantur, qua ad Fiscum redigatur, & ad Salaria Advocatorum præsertim, deinde Judicum quoque applicetur, immo victus victori, dimidiā partem summa hujus, poena loco restituere teneatur, absque ullo Processu, statim per Executionem, ab eodem exigendam.

§. XXIII.

Et ut clarius de hoc Tributo *Judiciali*, & Fisco Salariorum differamus, posset ille consistere, tam ut antedictum, in solutione certa pecunia summa, ante admissionem ad Processum &c. quam ut vietus Actor, etiam decima parte summa libellata, mulctetur & Fisco applicetur, tanquam poena mendacii, de qua STRYCK. *Diss. Spec.* de hac materia, imo in Concurribus Creditorum, ex omni-

B 3

mas-

massa, per unum tantum annum, ante distributionem creditoribus factam, usuræ totius Massæ, ad hunc Fiscum devolvi debeant, & sic porro, prout cujusque regionis & incolarum convenientia per se demonstrabit; Et si hac Remedia non sufficerent ad Collectas, uti prius §. XX. pridictum recurrentur.

§. XXIV.

His Remediis & mulctis, præter Salaria Judicium & Advocatorum id efficietur, ut si vixtus, tantas summas solvere necesse habeat, litigia admodum decrecent, & Judices plus temporis, unacum Advocatis lucentur, prate-reaque subdit ac clientes absque ullis ferme litigiis, velut in Paradiso degere possint, ac tota Respublica, quietissima ditissimaque effici queat.

§. XXV.

Posset etiam Advocatis hoc modo otiosis, successu temporis & Processibus pene abrogatis ac eliminatis, penes Advocaturam, concedi aliud officii genus, ut Professio in Seminario Studiosorum Juris &c. Judicibus autem injungi, ut per otium Principis Interesse & Oeconomias, meliori incremento & utiliori opera curare, imo ad alia convenientia officia, sese exhibere debeant.

§. XXVI.

Conduceret autem Sanctione Pragmatica introduci, ut Judex & Advocatus, a subdito ac clientulo, esculenta, potulenta, aut aliud quodvis genus doni, sive per se, sive per tertium nactus, poena corporis afflictiva ad minimum, imo capite, in causis maximi momenti plectatur, alias eveniet, ut antedicto modo, iustitia plus quam olim prematur.

§. XXVII.

Necesse erit quoque simili sanctione cavere, ut tam Judices quam Advocati, lites ultra posita fatalia & prænitia tempora protelantes, pari poena afficiantur.

§. XXVIII.

Objiciat mihi forte quis, quod litium abbrevianda,

rum

rum modus, neque aliis gentibus & principibus Christianis placuerit, neque in Saxonia nostra Ducali introductus sit, imo legibus Romanis non sit conformis; Ad prius respondeo: Electoratum Brandenburgicum ac Daniam, hac felicitate jam ex parte frui, immo ante hac, per beatum Dominum Schultz, Advocatum Ordinarium, & ni fallor postea quoque Consiliarium nostræ Aula Ducalis Friedensteinensis, tale quid equidem tentatum, sed postea, nescio quo fato subito derelictum, quod tamen nuperime beatus Dominus JÆGER Consiliarius Intimus nostræ Aulæ &c. multo potiori effectu per ordinationem renovatam Advocatorum, & alia bene ordinata strenue introducere coepit. Ad posterius vero commendo L. properandum 13. pr. C. de Judiciis. ubi triennium praefinitum finienda Instantia in causis civilibus, quod tamen spatium prisci Romani ne quidem requirebant, ut appareat ex Polleti Historia fori Romani, imo secundam Instantiam, jure Romano brevissime finiendam manifestum ex Auth. eiusdem appell. C. de tempor. & repar. appell. Quo allaborant etiam utilles leges pro abbreviandis processibus scriptæ, ut: l. 2. pr. ff. de aqua & aqua pluvia arcenda L. 10. C. de Transact. §. 13. J. de iniur. stipul. ac propter celeritatem dirimendarum litium L. 21. ff. de reb. Cred. L. 2. C. de rejudic. & prolixius hoc ex Historia Caesarum adparet apud Vent. de Valent. Partben. Litig. l. 1. C. 2. n. 13. seqq. ubi laudantur exempla Pompeji, Julii Caesaris, Galbae, Domitiani, Claudi, Alexandri Severi, & aliorum, qui poenas exilii statuerunt in eum, qui ultra annum item, etiam Romæ protelasset. vid. hac de re latius STRYCK. in Diss. de Processibus abbreviandis per panam Mendacii.

§. XXIX.

Præmissis hisce, nunc transeundum ad materiam Processuum abbreviandorum, ubi ut antea §. 13. dictum, omnes Processus summarie tractandi, sed differentia tenenda, inter causas maximi momenti, Nobilium, in Dignitate constitutorum, ac rusticorum, nec non parvi momenti.

§. XXX.

§. XXX.

In causis maximi momenti, Nobilium ac in Dignitate constitutorum, Citatio scripta, per Nuncium ordinarium insinuata ac paulo plus spaciis, pro Termino & Fatalibus concedi potest. Causa vero civium plebeiorum, rusticorum, parvique momenti, citatione oralis, per nuncium eundem ordinarium juratum, nullis fatalibus; aut spatio certo determinato, sed hoc arbitrio Judicis relicto, interim tamen utroque casu, relatione nuncii accurate ad Acta scripta, brevissimis expediri queunt.

§. XXXI.

A generalioribus ad specialiora progrediendo, exemplis illustranda venit delineatio Processus abbreviandi a me propositi, quia alias obscurus viderer, hacce forma consilens, quod in priori casu ubi Citatio scripta locum invenit, Judge Libello ab Auctore inscriptis oblato, cum adjecto Termino 4. septimanarum, Reum citari curerit, ita tamen, ut intra spatium 2. septimanarum, ad Libellum in scriptis respondeat, omnes dilatorias arque peremptorias Exceptiones opponat, simulque litem clare contestetur; si prius non adimpleverit, non amplius eadem in Termino admittantur, sed quoad passum Exceptionum causa cadat, si in posteriore Contumax fuerit, litem vel plane non, vel non satis perspicue contestando, confessim a Judice, sub pena confessi & convicti citeretur, atque Contumacia iterato admissa, pro confessio habeatur, ac condemnetur. Post Litis autem intra 14. dies debitam contestationem, & omnes Exceptiones tam dilatorias, quam peremptorias simul rite oppositas, Judici cardo totius negotii, ante Terminum, qui post duas septimanas hanc rei responsionem sequitur, facile elucescer, ita ut plene informatus in causa, amicabili compositionem majori cum effectu tentare possit, quam si talem notitiam acquirere non potuisset, uti prohdolor! hodierna praxi, reis fugientibus, atque Judicantibus, ante litis contestationem, quæ concordia inter partes non secuta denum sit, omnes suas Exceptiones & causa merita,

ta, studio, per certas Advocatorum Cautelas inducto abscondentibus, evenire solet. Compositione inter litigantes non subsecuta, Actor in Termino replicet, Reus autem dupliceret, & quidem omnia oretenus, vel ut in Saxonia appellatur: Bon Mund aus in die Feder. Quibus peractis, ambo concludant, & tunc Judex, cui omnia jam nota sunt, cum libellum Actoris & Exceptiones Rei, unacum litis Contestatione, jam ante Terminum perlegerit, atque contenta in recenti memoria reposita sint, Replicam vero & Duplicam ipse audiverit, facillimo negocio, statim in Termino, Sententiam vel interlocutoriam, vel definitivam pro qualitate negotii ferre poterit; Atque ita eveniet, ut in una eademque causa, si Judex ipse pronunciet, duodecim, si vero ad Collegium J.Ctorum transmittat, sex, vel ad minimum quatuor Sententiaz intra annum ferri, atque ita multæ ambages evitari possint.

§. XXXII.

Si Actor Reo Juramentum deferre velit, hoc in ipso Libello erit exprimendum, quod Reus in Exceptione scriptis comprehensa vel acceptare, vel referre necesse habet. Si vero Reus Actori hoc, in praedicto scripto Exceptionis, ad effectum deducat, & vel unus, vel alter, in praefixo Termino, ante Sententiam Judicis, praecedente Juramento Calumniæ adversarii, juret, ut tunc Judex statim definitive pronunciare queat, quo facto, multæ ambages atque disceptationes de oblatione ad Juramentum, aliaque, ac multæ inde evenientes interlocutoriaz amputabuntur.

§. XXXIII.

Probatione ac Reprobatione, per Sententiam interlocutoriam, partibus imposita, is, cui probatio injuncta est, Articulos, intra quatuordecim dies, Judici offerat, quibus alteri parti communicatis, hic, si Reprobatione uti velit, Articulos, eodem modo, intra quatuordecim dies, post sibi factam communicationem Probationis adversa partis, Reprobariales Articulos offerat, quibus acceperis, Judex Terminum quatuordecim dierum, ad Productionem &

C Re-

Reproductionem Testium vel Documentorum praefigat, in quo utraque Pars Interrogatoria mutuo offerat, Testes examinentur, Documenta mutuo recognoscantur, atque statim, hisce peractis, publicatio Probationis & Reprobationis fiat, & ita haec pari passu persicantur. Si unus vel alter ex Partibus Documenta recognoscere, vel Testem ad testimonium admittere derrecter, Judex hanc questionem statim, brevissime auditis partibus de causis, cur recognoscere, vel Testes admittere nolint, audiat, simulque in ipso Termino decidat, à qua sententia, cum nemini dampnum irreparabile inferat, ut in aliis summarissimis, neque Leuterationem, neque Appellationem admitti, consulum duco.

§. XXXIV.

Publicata demum Probarione & Reprobatione, ut ante dictum, Actor & Reus, intra quatuordecim dies, scripta sua ut vocant Salvationis & respective Impugnationis offerant, ad quæ Judex, etiam intra breve tempus quatuordecimi dierum, Sententiam ferat, aut his omissis, poemam, per Sanctionem Pragmaticam statutam, Fisco antedicto solvat.

§. XXXV.

Hocce modo etiam in Processibus Summariis, Inhibitivis, Arresti &c. hac cum differentia adhibita procedi potest, ut brevissimo Termino praefixo, Partes statim in ipso, quæ proponenda putant, ore tenus proponant & concludant; Quæ singula, latius proponere cum angustia hujus Dissertationis non permittat, specialiter unacum aliis Processuum abbreviandorum modis, alio loco atque tempore fusi exponam.

§. XXXVI.

In Concursibus Creditorum, vel alio Certamine eorum super prioritate, in Pignore, vel Hypotheca, Judex ante omnia circumspectus esse debet, ut libros suos, in quibus Hypotheca vel pignora, cum ipsius Consensu, scriptis designata sunt, diligenter evolvat, & si plures adsint, quorum

rum Credita, pretium Pignorum vel Hypothecarum ad du-
plum vel triplum excedunt, posteriores Creditores ad li-
men Judicij non admittat, quia alias multæ ac plane inu-
tileis Disceptationes, cum maximo dispendio & temporis
& Expensarum fierent, prout in certo Ducatu Saxonie ac-
cidit, ubi quidam Debitor, plura Credita, qua Hypothe-
cam constitutam in pretio maximè superabant, cum con-
sensu Judicis inferioris contraxerat: Prior, cuius Credi-
tum jam majus erat, quam ut per Hypothecam Judicia-
lem solvi posset, contra Debitorum Actionem instituit,
condemnatoque eo Immissionem atque Subhastitutionem
imperavit. Tertius autem interveniens, durante Subha-
stitutione, rem tanto pretio, cum consensu Judicis inferio-
ris emit, pro quo per Subhastitutionem vendi non pote-
rit, ac pecuniam Judicialiter depositit, qua anteriori Credito-
ri, cui per Immissionem, Possessio Hypothecæ con-
cessa erat, à Judice soluta est. His ita peractis, posterio-
res Creditores, Actionem contra Eントorem rei etiam ipsis
hypothecaræ instituerunt, ac iteratam solutionem ab eo
petierunt, qui audiri vix poterant, cum Debitor per aper-
tam L. s. potiores 3. C. de bis qui in prior. debit. loc. succed. se-
tueretur atque prioritatem Creditoris, cui pecunia so-
luta erat, contra posteriores acquisivisset; Interim ramen
maximo dispendio Expensarum circumducebatur: Quam
mentem Legis etiam ad omnes alias Eントores, quorum
pecuniam Creditores prioritatem præ aliis habentes acce-
perunt, licet per Immissionem non adepti fuerint Posses-
sionem Hypothecæ, ipfissima aequitate ita suadente, exten-
dendam puto, ut iterata pecuniarum emunctiones evi-
teatur.

§. XXXVII.

Nunc veniunt limitibus certis determinanda ac coar-
ctanda Remedia suspensiva, per qua hucusque plurima
Processuum prolongandorum occasio data, & à Judicibus
propter damnandam spem lucri huic malo admodum in-
dulatum fuit.

eul

C 2

§. XXXVIII.

§. XXXVIII.

Et quidem quoad Leuterationem notandum est, eam nonnisi cum certis ac verisimiliter probatis Gravaminibus nititur, à Judice recipiendam, qui deinde, omni Prosecutione penitus sublata, prout superius §. 29. descriptum est, procedere debet, imo si Judex eam absque ratione Gravaminum ac legum recipiat, & Advocatus, Juris ratione non suffulces concipiatur, ita ut vexa inde apparat, per Sententiam id, & in Judice & in Advocato, graviter puniendum puto; Quod etiam, in ceteris hujus generis Remediis suspensivis, excepto Remedio Restitutioinis integrum, locum habere oportet, cum hoc Remedio, tam minores, quam feminas uti posse, sanx rationi & aequitati convenientat.

§. XXXIX.

Ita tamen restrictum debet esse hoc Remedium Restitutioinis in integrum, & limitibus circumvallatum, ne hoc tam feminæ quam minores dolose abutantur, qua ratione etiam, antequam ipsis deferatur, gravamina solicite perpendenda, ac eventualiter a Judice inferiore super hoc capite aut Acta ad Collegium JCTorum transmittenda, aut Judex superior consulendus.

§. XL.

Hoc modo etiam in Appellationibns per modum supplicationum, querelis nullitatis &c. (qua vero, cum ad Judicem pertineant superiorum hic moderari instituti nostri non est) procedendum existimo, nec talia Remedia suspensiva, absque diligentí ponderatione admittenda, præser-tim cum Processuum terminatio brevissima, tam Principis, quam Subditorum maximum commodum ac incrementum promoveat, insuper vita quiesca nihil nobilius, nil ad dvitias, per rem familiarem aliosque modos querendas accommodatius.

§. XLI.

Ferix Legales omnes omnino exterminanda, ut Cursus

sus Processuum nullis impedimentis interrumpi possit &
Partes finem litis eo citius assequantur.

§. XLII.

Attingimus quoque, licet extra ordinem, materiam
Expensarum, quæ equidem Partibus antehac plurimum
deimenti attulit, cum & Sportula Judicum ac Advocato-
rum, etiam ultra Taxas positas multum extensæ fuerint, &
Victor, per compensationem earum sàpius plus amiserit,
quam Summa per Victoriam parta præstít, quod prius
quidem, per Salaria Judicum & Advocatorum ut supra §.
21. 22. 23. deductum evanescit, posterius vero per conde-
mnationem necessariam Victi in Expensas, quibusdam sal-
tim calibus specialibus exemptis, qui sunt juramenti delati,
Suppletorii & Purgatori præstiti, ubi tamen interdum
Compensatio etiam locum non invenit, evitatur.

§. XLIII.

Sentimus igitur, quod nec Conjunctio, nec alia cau-
sa quævis jure aut Legibus expressa, extra priores casus ex-
peditos, pro ratione ad Compensationem Expensarum ad-
mittenda sit, id quod Sanctione Pragmatica exprimendum
foret.

§. XLIV.

Ordo nos deducit nunc ad Executionem Sententiarum
Definitivarum, in qua re tam exigui momenti & de jure inevi-
tabili, plurimorum Victorum spes justissima ante hâc de-
cepta fuit.

§. XLV.

Concedenda ergo est, tanquam præmium Virtutis ac
Victoriae, post tot rerum discrimina, absque ulla mora,
tantum brevissimo Termino, ad solvendum Reo, & liqui-
dandum Actori dato, nullis vero Exceptionibus, ad me-
ram vexam tendentibus, nec etiam Solutionis, aut Com-
pensationis, quas vel ante litis Contestationem, vel statim
post Recognitionem Documenti, in Processo Executivo
opponere potuisse, post latam Sententiam, Reo permis-
sis, (nisi tamen post Sententiam, tales Exceptions, vel
Do-

Documenta ad ejus notitiam pervenerint,) sed statim post hoc tempus ac Terminum, absque solutione praterlapsum, Executione in quæcunque Rei bona ritè concessa, aut si plane bonis careat, vel solvendo non sit, eo in odium decoctorum ita Actori ad manus tradito, ut operibus Publicis, summam liquidam determinata quotidiana mercede, pane & aqua solummodo contentus, successive demeratur; Expeditum enim est Executionum protractiones, debita, ultra alterum tantum, per expensas scipiis auxisse, Creditoribus autem multum damni intulisse.

§. XLVI.

Processus Concursus Creditorum, quem supra §. 36. pauculis attigi, hic etiam, tanquam rem miserabilium personarum, in quas hodie Judices eorumque Actuarii maxime savire, loculosque suos, cum flebili eorum quorum interest detimento inde replere solent, exacte reformare necessarium puto.

§. XLVII.

Ideoque omnes penitus dilationes ac Termini circumducti eliminandi, statim absque ulla mora, Curator bonorum, ex numero Advocatorum, unacum sequestro, qui bonorum conservationem & redditus ex iisdem curer, rationesque de iis quotannis reddat constituendus, simulque omnes Creditores, per Edictalem Citationem, aut alia quavis via legitima citandi, nec Creditori absenti post moram purgatam, ac spatium determinatum praterlapsum, si modo Creditum sit justum, aditus ad hunc Processum denegandus.

§. XLVIII.

In hoc Termino, Liquidum tam Debiti, quam Massa, i. e. omnium bonorum Debitoris, admissa etiam Coniuge ratione illatorum, ac omnibus reliquis Creditoribus brevibus Positionibus constituendum, & jura prioritatis Creditorum inter se, intra breve temporis spaciū, juxta formam supra §. 31. delineatam, deducenda, dein Sententia Locationis ferenda, contra quam Leteratione unica, aut

aut aliis Remediis suspensivis utendum, ita tamen, ut gravamina justissima inveniantur, & omnia ante usitata fatalia, excepto decendio post diem publicationis, intra quod omnis Sententia aut suspenditur aut res judicata sit, penitus eliminantur, brevi deinde spacio ad eorum Consumationem concessio.

§ XLIX.

Et cum persuasum habeam, unumquemque ex his præmissis facile intellecturum, quod ego Principi & Subditis, contra Judicium tantummodo inferiorum & Advocatorum insultus, avaritiam, negligentiamque consulere, simulatque vitam placidam ac opulentam reddere intendem, quod certe absque maximis motibus, ac tam facile, nisi Princeps autoritatem gravissime interponat, fieri posse, nec ipse crediderim, ideoque confido, possibilitatem mihi neminem negaturum, præsertim, cum tot Leges ac supra memorata exempla, optimorum Principum in propatulo sint; Esse autem ipsum, sive Praxin, ex Principiis solum nutu dependere, unum quemque concessurum.

§. L.

Sed jam ad finem properandum, ne Ordinationem Processus magis, quam Dissertationem Juridicam conscribere videar, quod prius vero Instituti mei ratio in præsentiarum non patitur. Interim Divinum Numen precor, ut ea quæ supra dixi, rudi quidem Minerva, sed pio desiderio vera felicitatis Principis ac subditorum, & per experientiam, in Praxi, tanquam optimam omnium rerum magistra composita, maxima cum emphasi in effectum deduci, clementissime largiatur.

COROLLARIA.

- I. *Filius, ob graviores, vel pares causas, extra illas in Nov. 115. C. 3. expressas, non potest exhiberari.*
- II. *Exheredare non potest pater filium eo quod Pontificiam Religionem amplexus est.*

III.

- III. Si quis legaverit sub Conditione, ut Legatarius Pontificiae Religioni se dedat, Legatum valet, licet conditione non adimplenta.
- IV. Actio Injuriarum ad Palinodiam cum Aestimatoria recte cumulatur.
- V. Nati ex Concubitu Sponsi cum Sponsa, ante supervenientem Sacerdotalem copulam sunt legitimi, & legitimatio opus non habent.
- VI. Liberi illegitimi etiam contradicentes possunt legitimari.
- VII. Danurus bode etiam liberi naturales.
- VIII. Conveniri potest injuriarum autor famosi Libelli.
- IX. Conditione furtiva etiam heredes furis tenentur, ad rem oblatam & pretium resarcendum, licet fur jam ultimum supplicium passus sit.
- X. Polygamia simultanea haud repugnat simpliciter Juri Naturae.
- XI. Partus sub auspiciis septimi mensis editus est legitimus.
- XII. Fratrum & Sororum conjugia non sunt prohibita Jure Naturae.
- XIII. Dos, separatum jus in re constituit.
- XIV. Feudum in dubio habetur pro Feudo ex pacto & Providentia.
- XV. Ad Vallem Josaphat multi cum effectu appellarunt, adeo ut nonnulli, citationis Termino nominato, alii statuta die, alii praefixa hora decesserint summa cum desperatione.
- XVI. Provocatio ad Vallem Josaphat aliquatenus lieita est, præferim in Criminalibus.

ERRATA.

- Pag. 1. lin. 13. pro immunitatibus leg. immunitatibus.
- Pag. 5. lin. 3. post verba: paſtoris eſt, inseratur pecora tanta.
- Pag. 6. lin. 19. pro impenderint leg. impenderent.
- ibid. lin. ultim. post nobis addatur tamen.
- ibid. - - pro placet leg. placeat.
- Pag. 7. lin. 5. pro disceptandi leg. disceptandum,
- ibid. lin. 25. pro peremotorie leg. peremotoria.
- lin. 30. pro appellatio leg. appellatio.
- Pag. 7. lin. 7. post immo inseratur eorundem.
- Pag. 14. lin. 5. pro s. XX. lege s. XXI.
- Pag. 15. lin. 33. pro s. 13. lege s. 16.
- Pag. 16. lin. 28. pro contestatione leg. contestatione.

Nulla salus liti, semper pax una Triumphis
Innumeris potior: Sidera pace vigent.
Tu virtute suâ, & præstanti pectori monstrum hoc
Perdere, quod Pietas iustit habere, doces.
Macte Tuis studiis, vicitri macte coronâ,
Imponit Capiti, quam Themis alma tuo.

Ita honorissimo Dno Autori ex Sorore Nato, gratulatus.

PRÆSES.

Pugnam pertentas equidem, *Carissime Frater,*
Attamen haud potius bellica castra cupis.
Tempore cur critico tractas hoc thema molestem?
Atque foro Themidis, justitiaque dedis?
Ambages lisum contemplans, indeque abusus,
Pungis, & ut fas est, qua refescanda, mones.
Urge propositum, nec flectere tramite recto,
Insta conando; sic bene cedit opus!

*Ita amoris & fraternitatis germana lege gratulabundus
applaudit,*

CHRISTIAN. ERNEST. KÜNHOLD. D.

Serenissimi Ducis Saxo-Isenac. Consiliarius.

Processus morbos dum curas, *Frater Amande,*
Non levis ingenii est, nec Tibi pena levis.
Perge Tua cura lires resecare per amplias;
Sic Jurisprudens terque beatus eris.
Gratulor ergo novum meritò Tibi latus honorem,
Et Tibi fortuna candida vela precor.

Hac paucula, gratulabundus addere voluit

JOHANN LUDWIG KÜNHOLD,
Locutus Regis Boruss. nec non hered. in Tam-
buchhoff & VVölffis.

Dum litis lenta Frater compendia quæris,
Præmia sudori debita consequeris.

Felicem novorum honorum eventum soles

D. FRIDER. ALEXANDER KÜNHOLD,
P. P. & Fac. Jurid. Lips. Allffor.

AU-

D



AUDAX ACCERSIT virtutis præmia digna,
Qui modo Martis erat, filius est Themidis
Præstat funestum potius dimittere Martem,
Quam Themide missa castra cruenta sequi.

His Prenobili ac Perdo Eo Dno Doctorando, Amico Honora-
tissimo, Nomen & Onus habent, de speciminum in Ju-
re editione felici ac Gradus pro meritis acquisitione, plan-
sum addere, perenni se commendans memorie, volui

G. H. von Gerstenberg,
Ser. Duci Saxo-Hildburgh. actu à Consiliis.

Excipe festivo fautrix Urbs Gotha favore,
Quem Tibi transmittit nunc Hierana virum.
Aspice sacratam, quæ cingit tempora, frondem,
Impositum meritum quam sacra laude Themis.
Gratulor ergo TIBI merito Doctissimo KÜNOLD,
Amborum Fratrum qui petis ipse vias.
Sic, puto, calcabis vestigia clara Parentis,
Et vel par ipsis, vel quoque major eris.

Sincerioris affectus ergo gratulabundus scrib.

FRIDER. WOLFF DE ZIEGLER,
Erfurt.

AUDACES Fortuna juvat, proverbia dicunt,
Impletum hoc in TE cernere quisque potest.
Miles eras fortis, nunc Doctor jure crearis,
Apprecor ut porro TE Deo dicta juvet.

*Pauculus hisce prolixum erga Honoratiss. Dn. Candidatum
affectionem gratulabundis testari, siique memoriam com-
mendare voluit, debuit*

Opponens

JOHN. WILH. THEOD. Leichner, Ph. M.
& Dicasterior. Electoral. Erfst. Adv. Ord.

Imbelles aquilam non progenerare columbas,
KÜNOLD ni credas, sat TIBI testis erit.

*Haec sunt angustis verbis, letitiae & amicitia signa, quibus
TIBI Majorum, & Cognatorum illustribus inherenti ve-
stigiis, memoriam sui commendat*

Honoratissimae Consobrine Tuus observantissimus
JOHN. FRID. TENZELL, Opponens.

(0)

ERfurt, Diss., 1730 (1)


ULB Halle
003 749 266

3



TA-70L





DISSERTATIONEM IN AVOCATU M. J. C. KÜNHOLDI
DE 1730, 32. 7. 33

AMPV TANDIS PROCESSVVM

AMBAGIBVS,
IN FORO PRÆSERTIM
SAXONICO DVCALI,
AD SERENISS. PRINCIPIS BENEPLACITVM
ET SVBDITORVM SOLATIVM,

VOLEBAT,
JVSSV ATQVE AVTORITATE,
CELEBERR. IN INCLYTA ERFORDENSI ACADEMIA
JCTORVM ORDINIS,
SUB PRÆSIDIO

DN. ERNESTI TENZELII, JCtI,
EMINENTISS. AC SERENISS. PRINCIP. ELECT. MOGVNT. CONSIL. REGIMINIS,
JUDICII PROVINC. AC FACVLT. IURID. ASSESS. EIVSDEMQUE H. T. DECANI,
NEC NON CIVITATIS CONSULIS PRIMARII,
AVUNCVLII AC PROMOTORIS SVI, EA QVA PAR EST,
PIETATE ÆVUM COLENDI,

AD
DOCTORALEM GRADVM,
CVM NOBILIBVS IMMUNITATIPVS ATQVE INSIGNIBVS
IN VTRQVE JVRE ACQVIRENDIS,
PLACIDE ERVDITORVM CENSVRÆ,
IN THEMIDOS SACRARIO, HORIS CONSVETIS
EXHIBERE

FRIDERICVS WILHELMVS KÜNHOLDVS,
Gotha-Thuringus,
ADVOCATVS REGIMINIS FRIEDENSTEINENSIS.
DIE V. AVGUSTI ANNVM DCC XXX.

ERFORDIAE, Literis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

10 20 30 40 50 60 70 80 90 100 110 120 130 140 150 160 170 180 190